BERENGARII TURONENSIS
VITAE EX FONTIBUS HAUSTAE
PARS PRIMA.

COMMENTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

DR. HENRICUS ELIAS LEHMANN

PASTOR PRIMARIUS IN URBE LABIAVIA.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXX.

Praefatio.

Berengarii Turonensis vitam quoniam hoc in commentario exsequi instituimus, doctrinam eius separatim exponendam non putavimus. Ea enim post Berengarii librum, qui „de sacra Coena“ inscribitur, a Lessingio repertum, ab A. F. et F. Th. Vischer editum neque ulla ex parte dubia est et a Staeudlino (Staeudlin et Tzschirner: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte, Bd. II. Stück I.) et a Neandro (Kirchengeschichte Bd. IV.) perspicue explicata. At Berengarii vita ante hos novissimos annos non continuo ordine memorata, sed per singulas tantum partes quasdam passim nota est. Nam qui primus Berengarii vitam scribere conatus est, F. d. Roye (de vita, haeresi et poenitentia Berengarii 1656), is quidem rem parum illustravit, ut qui acerrimus disciplinae catholicae sectator, nullo veritatis historicae in quaerendo adhibito studio, nullo falsi et veri discrimine, haereticum illum vi fidei catholicae victum esse doceret eamque victoriam concelebrandam sibi sumeret; quo factum est, ut vel consilio vel ignorantia veritati saepius obtrectaverit. Qui autem hoc saeculo hanc historiae partem denuo elaborandam sibi sumserunt, Staeudlinum dico et Neandrum, quum diligentissime illi quidem et veri studiosissime perquirendis, quae usque ad ipsorum aetatem cognita erant, historiae eius monumentis operam dedissent, tamen ne illi quidem Berengarii vitam variis casibus agitatam continuo quasi cursu deduxerunt. Neque id illis contingere omnino potuit, donec nostra demum aetate anno 1850 prorsus novum illius vitae scribendae allatum est adiumentum, quum Sudendorfius

epistolas nonnullas ederet nuper repertas, quae ad res Berengarii spectant. (Sudendorf, Dr. phil. Berengarius Turonensis, i. e. Berengar betreffende Briefe. 1850.) Quae epistolae ad obscuras partes quasdam illustrandas insignem usum praebent. Nam et novi homines antea incogniti prodeunt, cum Berengarii rebus arctissime coniuncti; et alii, qui apud Neandrum excellentia quaedam loca tenent, iam prorsus diversa intuenti ingenia praebent et mores. Atque in ea re quaerenda insignis imprimis et memoratu dignissima est ipsius Sudendorfii opera, ut qui summa diligentia et eximia studii integritate usus singulis rebus explicandis praecipuam opem attulerit. A quo quantum quaestiones meae pendeant, quantum discrepent, sequentibus satis intelligi licet. Universa autem historiae monumenta, quibus de Berengario agitur et quorum in componenda eius vita ratio habenda est, idem Sudendorfius (pag. 7—68) enumeravit: quae nos quoad ipsi inspeximus, singulis in locis laudavimus.

Quae ipsi iudicemus de Berengario, vide Cap. VII. not. c.

In ipsa autem hac vita componenda hanc viam atque rationem sequuti sumus, ut quae accurate perquisita de illius rebus sine dubio constare viderentur, ea quidem continua narratione deduceremur; rationes autem, quibus illa niterentur, separata adnotatione exsequeremur. Denique adiectae huic commentario sequuntur omnes res, quae Berengarii vitam quodammodo tangere videantur, secundum ordinem annorum collatae.

BERENGARII TURONENSIS VITA.

Caput primum.

Berengarius Turonensis adolescens. — Folpertus Carnotensis. — Berengarius canonicus Turonensis et Andegavensis. — Epistola paraenetica ad eremitas. — Berengarii fama. — Drago Parisiensis. — Berengarius arbiter. — Berengarius contra Paschasium Radbertum. — Epistola Adelmanni. — Hugo Lingonensis contra Berengarium. —

Berengarius Turonensis initio saeculi undecimi natus est.[a]) Doctus est theologiam in schola clara Folperti episcopi Andegavensis, pii illius et sapientis magistri, quem omnes discipuli maximo amore amplectebantur.[1]) Praeclara erat Berengarii indoles, eiusque animus bona praecepta libenter accepit: erat Folperti optimus, ingenio vero magistrum superans discipulus, qui investigandi amori semel incitato finem non potuit ponere. Carnotensi schola relicta Turoni, in urbe patria literis profanis studuit easque docuit; tum plane se vertit ad studium scripturae sacrae veterumque

a) Quo loco, quo anno natus sit, cfr. Staeudlin II. 1. pg. 6.

1) Quanto amore dediti fuerint Folperto discipuli, intelligi licet ex literis Adelmanni, Leodiensi collegio praefecti (qui anno 1048 episcopus Brixianus factus est), quas literas scripsit ad Berengarium „collectaneum". Dicit Adelmannus: „Nos sanctam vitam salubremque doctrinam catholici et christianissimi viri una experti sumus et nunc eius apud Deum precibus adiuvari sperare debemus, nec ille putandus est memoriam, in qua nos tamquam in sinu materno semper ferebat, amisisse, nec caritas Christi, qua sicut filios amplectebatur, extincta est in eo, sed absque dubio memor nostri et diligens plenius, quam cum in corpore mortis huius peregrinaretur, invitat ad se votis et tacitis precibus." Haec epistola ed. a. C. A. Schmidt. Brusvici 1770.

patrum sanctorum, et canonicus praefectusque scholae cuiusdam Turonensis et Andegavensis magnopere effecit, ut studium literarum inter clericos incitaretur earumque semina dispergerentur. Totius Galliae iuventus ad eum se congregavit; suavi sua benevolentia adolescentes Berengarius sibi conciliavit pauperesque victu adiuvit. Sed una cum eius fama crevere odium et obtrectationes adversariorum.[2])

Si Berengarius vituperabatur, quod semper decederet de via usitata, quod grammaticam latinam corrigeret novamque inducere vellet latinam eloquutionem,[3]) — nec fama eius orthodoxiae offendi neque auctoritas, qua utebatur, potuit minui. Quantus eius fuerit honor, ex eo iam intelligitur, quod Eremitae quidam illius regionis ex eo petierunt, ut literas paraeneticas ipsis scriberet. Quod Berengarius fecit, et hoc scriptum[4]) magni nobis est momenti, quia ex eo intelligimus, literarum studium christianae eius pietati nihil obtrectasse; potius pericula vitae eremitarum diiudicans ingenue repugnat falsum pretium, quod vitae tribuebatur asceticae.[5]) Praeclarissime vero elucet ex hac epistola magna

---

[2]) Ipse Guitmundus, Aversensis archiepiscopus pietate doctrinaque praestantissimus, Berengarium scilicet de suo statu, iuventutis vocat corruptorem. Dicit („de corporis et sanguinis Christi veritate“ lib. I.): „egenos scholasticos, iam per alimoniam, qua sustentabat eos, et per suos dulces amores corruptos.“ (Cfr. Bibliotheca patrum Lugdun. Tom XVIII. fol. 441.)

[3]) Cfr. Adelmanni epist. pag. 31.

[4]) Martène et Durand: Thesaurus novus anecdotorum. Tom. I. fol. 191—195.

[5]) Quae de eius scripto excerpimus, sequuntur: „Hic est rectus cursus, a carne per iustitiam ad deum, ab Aegypto per desertum ad terram promissionis, a vitio per virtutem ad praemium, a natura per artem ad felicitatem, a mundo sine mundo extra mundum. Non enim in hoc, quod nati estis, manere debetis, sed viam trium dierum ibitis in solitudinem. Quae est solitudo? Coelum? Cur? quia ab omni malitia solitarium et purum. Via trium dierum necessaria est usque coelum. Prima via est legem carnis negligere, secunda est spiritus legi adhaerere, tertia est summum spiritum videre. . . . . Venistis ad eremum, ut percipiatis sibilum

auctoris eruditio dogmatica et vis, quam Augustini doctrina, praecipue de gratia, in Berengarium habuerit. Egregia Berengarii fuerunt verba scribendique egregius modus, qui a lingua illius aetatis multum differebat. Qui sic excelluit inter aequales, in obscuritate diu versari non potuit.

Late Berengarii percrebuit fama non praeceptoris modo, sed etiam medici. Unus eorum, qui magnum ei tribuere honorem, Drago fuit archidiaconus Parisiensis, qui anno 1040 (eodem tempore, quo Berengarius epistolam ad Eremitas paraeneticam scribebat) cum eo convenit, et fidem, qua

---

aurae tenuis: venistis ad eremum, non ut adhaereatis divitiis, sed ut pugnaretis cum vitiis: venistis in desertum, quia Christus ductus est in desertum a spiritu. Fugistis turbam, quam et Christus fugit, ne facerent eum regem: fugistis, sed hostis insequitur. Tamdiu fugite, donec desit hostis, non cesset fuga, donec cesset vita. Non est in terra locus tam subterraneus, tam supermontanus, tam abditus in nemore, tam septus pelago, ad quem vitium non accedat. Non est cella tam clausa, quin vitium accedere queat..... Est eremita solus in cella, sed vitium pro foribus excubat, blando alloquio quaerens hospitium. Ego, inquit, sum dilectus tuus, quem fovebas in saeculo, qui tecum eram ad mensam, qui tecum dormiebam in lectulo, sine quo nihil faciebas. Quomodo egisti hoc facinus, ut me velles relinquere. Secutus sum te per vestigia, et putas sine me latere in cella. . . . . Tecum fui in saeculo, cum carnem commederes, cum vina biberes, cum te ad vomitum satiares. Tecum ero in eremo, cum solo pane vesceres, cum aqua sapies, cum post refectionem modicam esuriens remanebis. . . . . Habes Eremita aliquid de meo. Caro, quam gestas, mea soror est, mecum genita est, mecum nutrita. Vis, ut sine me moriatur. Quamdiu caro erit caro, tamdiu ero in carne tua. Ecce pulso ad ostium; aperi dilecto tuo. Cur tu intus — et ego extra? . . . . Si carnem vincis abstinentia, superbis, ecce vitium. Si a carne vincaris, ita ut in delectationem cadas, ecce vitium. . . . . Superbia commune vitium est daemonum et eremitarum." Igitur: „Oportet ut habeat (eremita) canem in ostio cellae, qui semper latret contra vitium, ne illo dormiente fur possit perfodere domum. Canis est invocatio gratiae, canis latrans intenta supplicatio, quae dormire cor mundum vetat." Itaque hortatur Berengarius necessarium esse, ut cognoscatur ipsorum debilitas Deique gratia imploretur. Ab illo viro devinci posse peccatum, qui Eius vi pugnet, qui etiam in infirmis potens sit.

Berengarius officium praestitit, humanitatem, qua omnibus, qui ad eum fugerant, consilium atque consolationem dedit, moderationem et jeiunitatem, quibus corpus suum arcuit, admirari habuit occasionem. Berengarii studium in scripturis perscrutandis, elegantia interpretationis, eloquentia, mirifica scientia artis medicae Dragonem vehementer commovere.[6])

Multi de viris eruditis cogitationes in Berengarium vertere et anno 1048 (vel prius etiam, certe quidem priusquam doctrinam suam de sacra coena protulit) Berengarius ut inter dimicantem episcopum quendam huiusque clerum iudicaret rogatus est. Episcopus enim [7]) diaconum quendam, qui uxorem duxerat in matrimonium, excommunicaverat. Berengarius consilium rogatus respondit[b]): Episcopi factum

---

[6]) Parisios reversus Drago literis Berengario admirationem suam scripsit et aperte ei dixit, se neminem reperisse ei similem („cui te similem dico non invenio"), neque quemquam ab ipso tanti aestimari, quanti Berengarium. Hac epistola quam Sudendorfius pag. 200 profert, Drago collaudatis omnibus Berengarii virtutibus exclamat: „Sed quid plura? Unum est, quod pro te lugeam ac deplorem, te scilicet a mundo ignorari. In quo ex parte me consolatur, quod ut a te discessi, quibus potui, et his non infimis viris te admirabilem reddidi." —

[7]) Ut censet Sudendorfius: Isembertus Pictaviensis. —

[b]) Literis, quas Martène et Durand (thes. nov. anecd. T. I. fol. 195 ff.) nobiscum communicant. Inscriptio est ibi: „Epistola Berengarii ad J." Editores censent in nota, hoc J esse falsum, pro L scriptum et Lanfrancum significare, id quod demonstrare volunt dicentes: „Nam haec epistola aliam ejusdem ad Lanfrancum sequitur epistolam, quam edidit noster Acherius in notis ad vitam St. Lanfranci pag. 22." Quae tamen sententia plane est refutata per Sudendorfium pag. 89, qui dicit: „Aus der Anrede: Geliebter Bruder! darf man schließen, daß J. geistlichen Standes war, aber kein höheres Amt als Berengar selbst bekleidete, nicht Bischof oder Erzbischof war, weil Berengar in diesem Falle nicht blos ihn: Bruder, sondern wenigstens auch: Herr genannt haben würde. Unter den Geistlichen, zu denen Berengar in freundschaftlicher Beziehung stand, befindet sich, so viel bis jetzt ermittelt ist, kein Andrer, dessen Name mit J beginnt als Joscelin," (vel etiam Goscelinus; Berengarius literam G molliter eloqui solebat, ut Josfredus pro Gosfredus) „Erzbischof zu Bourdeaux und Schatzmeister an der Kirche St. Hilarii zu Poitiers. Weil der Brief nicht an

cum legibus ecclesiasticis pugnare sibi videri, nisi forte episcopus obstinentia diaconi ut huiusmodi ageret coactus sit. Sed (sic Berengarius suasit) pro se unusquisque intelligeret iniuriam omnique omissa vehementia alter alteri cederet.

Haud satis constat, quo tempore Berengarius, fortasse scriptis Paschasii Radberti et Ratramni impulsus, doctrinam de sacra coena exquirere inceperit. Ut videtur factum est in quarto huius saeculi decennio, nam initio anni 1049 doctrinam suam de sacramento altaris protulit[c]), in qua

---

einen Bischof oder Erzbischof geschrieben sein kann, so muß er in die Zeit gesetzt werden, als Joscelin noch nicht Erzbischof war." Factus est Joscelinus archiepiscopus (remoto archiepiscopo Archembaldo) anno 1059. Quaestorem Joscelinum ecclesiae St. Hilarii Pictaviensis iam anno 1047 fuisse narrat documentum quoddam (Sammarth. Tom II. Instrumenta pag. 457. Nro I.) — eodem ergo fungebatur munere, quo Berengarius, et fieri potuit, quum magister Isemberti (episc. Pict. ab anno 1047—1086) fuisset, ut ab hoc mandatus Berengarium ut iudicaret in re commemorata rogavit.

c) Berengarium anni 1049 initio doctrinam suam protulisse plane elucet ex epistola quadam, quam Eusebius Bruno episcopus Andegavensis (1047—1081) scripsit ad Arnulphum archiepiscopum Turonensem, quam epistolam anno 1049 mense Junio esse scriptam egregiae Sudendorfii quaestiones demonstrant. Eusebius queritur in hac epistola de Leone IX. (1049—1054). Papa enim Brunonem, qui accusatus erat simoniae, de ordine suo in tempus aliquot moverat, et, ut defensiones acciperet, Romam vocaverat. Eusebius Romam profectus tantum adeptus est, ut papa suspensionem non plane sublatam moderaret eique locum et tempus diceret, quo res illa ageretur accuratius. Eusebius tempore destinato venit, papa vero frustra exspectabatur, et Eusebius re infecta redire conatus est. Iterum Eusebius, sed frustra Romam litteras miserat. In hac conditione incerta Arnulphum archiepiscopum Andegavensem adiit, hac vero epistola modo commemorata Arnulpho gratias agit, quod adversus papam ipsi tutelam praestiterit. (Ceterum Eusebius postea innocens est repertus, certe quidem in Concilio Remensi probum eum ecclesiae filium videmus.) In hujus epistolae parte ultima haec Berengarii rebus gravissima legimus verba: „Caeterum ecclesiae nostrae clericum Beringerium, totius erroris, totius immunissimum culpae, per immoderantiam papae noveris iniustissime et sede apostolica indignissime diffamatum. Plura de illo tibi scribenda fuerant, si iam abeuntium festinatio permisisset, quod

opinionem Paschasii Radberti sacrae scripturae veterique doctrinae ecclesiasticae repugnare contendit, Ratramnum vero aut Scotum Erigenam [d]) laudavit et probavit.

---

tamen domino donante maiore otio nos facturos esse disponimus." (Sudendorf pag. 204.) Hic est nuntius, quem Eusebius Roma affert, quem scire Arnulphum non posse merito putat. Quoniam haec epistola, ut constat ante diem 29. mens. Junii anni 1049 est scripta, quo die Leo IX. papa soncilium Remense (die 2. mens. Octobr. ann. 1049 incipiens) annuntiavit: evidens est, Berengarium ante Junium mensem anni 1049 sententias suas de sacrae coenae doctrina proferre incepisse. Porro si consideramus, quomodo huius rei nuntius Leoni IX. papae allatus sit, certiores quoque facere possumus conclusiones. Lanfrancus in libro contra Beringarium scriptum tradit, tempore Leonis IX. papae et (ut e connexu intelligitur) ante concilium quidem Romanum (1050) Berengarii doctrinam ad sedem papae esse delatam. Hic nuntius, nec minus Lessingii sententiae (qui censet: sedi papae demum post concilium Remense, immo uno anno post, Berengarii doctrinae factum esse indicium) et Staeudlini (qui concedit, papam iam in synodo Remensi anno 1049 de Berengarii sententiis falsis audire potuisse) certant contra Eusebii Brunonis relationem. Nunc vero non est nobis negligendum, Adelmannum Leodiensem scholasticum iam anno 1046 de nonnullis Berengarii opinionibus audisse et post unum fere annum propter illas ad Primicerium Paulinum Metensem scripsisse. Praeterea — et hoc quidem alterum est argumentum dicti: Berengarium doctrinam suam initio anni 1049 in lucem protulisse et publice docuisse — praeterea Hugo episcopus Lingonensis adversarius Berengarii exstiterat. Qui vero quum die 3. mens. Octobr. anni 1049 in concilio Remensi propter simoniam de loco moveretur atque excommunicaretur, opus suum polemicum contra Beringarium ante diem 3. mens. Octobr. anni 1049 iam scripsisse necesse est. Certe nobis credendum, famam haereseos Berengarii ad doctos clericorum in tota regione a Lingonis per Metas ad Leodium percrebuisse et a Brunone episcopo Tulonensi auditam esse. Leo IX. papa vero usque ad diem 12. mens. Februar. anni 1049, quo die ascendit in sedem apostolicam, ille ipse fuit episcopus Bruno Tulonensis. Fama haereseos Berengarii ad illum pervasisse opus erat. Quibus dictis intelligitur, Berengarii doctrinam de sacra coena initio anni 1049 (id quod tamen serissimum tempus est) si non iam prius, in publicum esse prolatum.

[d]) Qua in re haec commemoranda sunt. Paschasius Radbertus quum anno 842 Carolo calvo imperatori novam editionem dedicasset libri „de sacramento corporis et sanguinis Christi" — rex et alios

Berengarii doctrina per multos ipsius discipulos divulgabatur, ita ut non in Gallia modo, sed etiam in Germania ubique nota fieret animosque vehementer commoveret. Adelmannus Leodiensis archidiaconus speravit, fore ut aliquantum valeret in Berengarium amicum suum et scripsit ei epistolam, quam non servatam habemus, qua de doctrina eum rogat, quum audisset: Berengarium docere: non esse verum corpus Christi in sacra coena neque verum sanguinem, sed figuram et similitudinem. Quam epistolam Berengarium non accepisse videtur, nam Adelmannus responsum frustra exspectavit.[8]) Quare hic duobus annis post iterum ad Berengarium scripsit et obsecravit eum „per misericordiam Dei et per suavissimam memoriam Folperti, ut pacem catholicam diligeret, neque conturbaret rempublicam christianae civitatis bene iam compositam a maioribus, pro qua tot

---

et Joannem Scotum Erigenam doctissimum virum rogasse dicitur, ut de libro Paschasii iudicaret, et Erigena librum scripsisse fertur, ex quo tamen haec modo verba nobis tradita sunt: „Sacramentum altaris esse similitudinem, figuram, pignus corporis et sanguinis Domini.“ Berengarius in libro suo „de sacra coena“ saepissime citat Scoti opus, quod legisset. Nostra aetate Laufius, vir doctissimus (Stud. u. Krit. Bd. I. St. IV.) haud paucis collectis argumentis dubitavit, revera a Scoto hunc librum esse scriptum et compluria argumenta collegit, quae demonstrare videntur, Ratramni librum commutatum esse cum libro quodam Scoti. Verba illa supra commemorata inveniuntur in Ratramni libro. Tum loci cuiusdam ex operibus Gregorii Magni eadem citatur interpretatio in Scoti et in Ratramni libro. Deinde qui citant Scoti librum, Ratramni non commemorant scriptores, et qui Ratramnum repetunt, Scotum non cognoscunt. Hincmarus archiepiscopus Remensis, qui haereticas Scoti citat opiniones, libri Scoti non facit mentionem. Itaque iudicandum est, Berengarium, quamquam citat Scotum, tamen Ratramni modo librum cognovisse.

[8]) „Epistola eandem, sed paullo largiorem, ecce iam secundo tibi mitto, quoniam properante legato priore propositam quaestionem de tripartita corporis Christi distinctione commode expedire copia non fuit; credo etiam in manus tuas nondum illam pervenisse, nequaquam silentium tam diu tenuisses.“ Adelmannus in secunda epistola ad Berengarium.

martyrum millia contra idololatriam et regnum diaboli fortiter dimicantes triumphaverunt.“ Rogavit eum, ut dubitationes e corde reiiceret, „odit Dominus nimios scrutatores.“ — Quamvis Adelmannus Berengarium rogaret, ut „quantocius rescriberet et refelleret ab animo suo scrupulum“ — et tum etiam nullum, vel post multum demum tempus, responsum accepisse videtur.

Eodem tempore Hugo episcopus Lingonensis opus contra Berengarium scripsit, quem tamen summo honore alloquitur (— „in quibusdam reverendissime“ —). Contra Berengarium in hoc libro et alia et hoc dicit: Si quis dicat, ea de caussa tantum de Christi corpore in sacra coena agi, quod ab hoc sacramento vis salutifera tamquam e corpore Christi proficiscatur, hoc modo singularis sacrae coenae natura, qua differat a sacramentis aliis, tolli et baptismatis vel cuiusve alius sacramenti nomen ei dare posse.[9])

---

[9]) Cfr. ejus Tractatum de corpore et sanguine Christi. Bibl. patr. Lugdun. T. XVIII. f. 417.

Caput secundum.

Berengarii epistola ad Lanfrancum. — Concilium Romanum 1050. — Berengarius damnatus. — Ansfriedus Praviensis Carnoti. — Concilium Vercellis habendum. — Berengarius profectus ad Henricum I. regem. — Berengarius apud Ansfriedum. — Berengarius Carnoti. — Berengarius ab rege in custodiam iactus. — Concilium Vercellense, 1. Septbr. 1050. —

Adhuc quamquam a clericis quibusdam deprehensus epistolis, tamen a papa omnino neglectus est Berengarius, donec epistola anno 1049 scripta et Lanfranco, celeberrimo Priori monasterii Beck in Normandia, data effecit, ut papa ipsum coërcere institueret. Illud enim aegre tulit Berengarius, quod Lanfrancus amicus, vir eximii ingenii, doctrinam Paschasii Radberti vehementer defendit, Scoti vero vocavit haereticam. Quare Berengarius commotus Lanfranco scripsit[1]) conventumque ei suasit, in quo talibus coram iudicibus testibusque, quales cooptaverit, communem de sacra coena instituerent indagationem. Usque ad id temporis Lanfrancus aegre ne ferat, quum dicat: „Si haereticum habes Joannem (i. e. Scotum), cuius sententias de eucharistia probamus, habendus tibi est haereticus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus.“ Quae ipse senserit de sacra coena Berengarius, ex hac epistola haud constat, quum neque ipsius Joannis Scoti sententia satis cognita sit, Paschasii autem de transsubstantiatione doctrinam ipsum rejecisse aperte ex illa epistola prodit.

---

[1]) Haec epistola expressa apud d'Acherium pg. 22, in notis et observationibus, quas ante Lanfranci opera invenimus, communicata est ex Codice manu exarato bibliothecae regiae Parisiensis 1648. (Labbeus T. IX. pg. 1054.)

[2]) „Tempore sancti Leonis papae delata est haeresis tua ad Apostolicam sedem.“ Lanfr. de eucharistiae sacramento. Cap. IV.

Lanfrancus Berengarii anno 1050 Romae, quo ad concilium erat profectus, accepit eamque in eodem concilio et Berengarium haereseos accusavit.[3]) Berengarius hoc in concilio Romano mense Aprili anni 1050 neque citatus neque auditus a Leone IX. papa haereticus damnatus atque excommunicatus est.

Praecipue Richer abbas monasterii St. Juliani Turonensis simul cum Lanfranco contra Berengarium agebat atque effecit, ut hic condemnaretur. Richer post concilium Remense (Octbr. 1049) cum multis aliis episcopis et abbatibus Leonem IX. papam in Italiam sequutus, ex adversariis fuit Berengarii,

---

[3]) Lanfrancus quidem se excusare conatus hanc epistolam in aliorum dicit manibus iam fuisse, papamque ipsum hoc audisse, haereseos igitur suspicationem in ipsum cecidisse, quod epistolas tales acciperet, et coactum se fuisse, ut concilio hanc rem proponeret. Dicit (loc. cit. C. IV.): „Qui quum synodo praesideret ac resideret secum non parva multitudo episcoporum, abbatum diversique ordinis a diversis regionibus religiosarum personarum, iussum est in omnium audientia recitari, quas mihi de corpore et sanguine Domini literas transmisisti. . . . . Quas quum legissent et contra usitatissimam ecclesiae fidem scriptas animadvertissent, zelo Dei accensi quibusdam ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum sententias verbis exposuerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te quam de me fuerit orta suspicio, ad quem videlicet tales literas destinaveris: putantibus multis me fovere ac favere, quae a te dicerentur, vel gratia, qua te diligerem, vel fide qua revera ita esse indubitanter tenerem.“

Sed e natura hujus relationis, ut etiam Berengarius eum falsitatis merito accusat — (dicit: „Qua enim fronte scribere potuisti, suspicionem contra te de meo ad te scripto potuisse oriri? Admonebat te scriptum illud meum, praeponeram contra Joannem Scotum te tulisse sententiam, et ut de eo mecum agere dignareris secundum scripturas. Nec sani ergo capitis fuit, aliquid contra te suspicari de scripto illo, in quo ego reprehenderam, quod omnes, ut scribis te fecisse, approbabant.“ De sacr. Coen. ed. Vischer pag. 36) — evidenter elucet, illum acerbissimo quoque adversario nullam dare potuisse occasionem, ut tantam suspicationem in eum vertere posset; et credere debemus, Lanfrancum, quod sibi dixerit, improbe se egisse adversus veterem amicum, hac falsa relatione facinus suum melius reddere voluisse, et se excusare coram Berengario studuisse.

qui caecum saepenumero eum nominat. Statim post concilium Romae habitum (quod modo commemoravimus) Richer profectus est Turonum; magnam enim speravit se percepturum utilitatem, si concilii illius decreta de exsecratione Berengarii deferret et divulgaret; certe quidem primus cum Ansfriedo abbate Praviensi, Berengarii amico, illa communicavit. Berengarius, qui doctrinam suam ab Ansfriedo probari opinabatur, mox deceptum se vidit. Id quod tamen eum nondum commovit, ut Ansfriedum contemneret.[4])

Ansfriedus quum a Richero audisset, condemnatum esse amicum, non modo eum non defendit, sed etiam — ut ait Berengarius — magnam dedit offensionem. Carnoti, ubi Berengarius a Folperto fuit eruditus, condemnatio Berengarii magnam excitare potuit laetitiam, quia urbis clerici animos gerebant Berengario infestissimos. Hac tum in urbe Ansfriedus de sacra coena quaestiones publice instituit. In quibus quaestionibus nullius auctoris vel commentatoris, ne patrum quidem, quos citaverat Berengarius, habuit rationem, et evangeliorum tantum apostolorumque tenuit eloquutiones. Eventus quaestionum illarum fuit, ut Ansfriedus omnesque Berengarii adversarii optare poterant.

Leo IX. papa, qui intellexit, inepte se et iniuste in concilio Romano egisse, Berengarium eodem anno ad concilium Vercellis habendum vocavit, cui ipse voluit praesidere. Complures clerici et amici Berengario suaserunt, ut proficisci negaret, quia secundum ius canonicum[5]) nemo cogi posset, ut extra provinciam suam iudicaretur.[6]) Ipse papae parere non se coactum esse censebat, attamen quod illum in magno honore habebat[7]) concilio Vercellensi adesse constituit.

---

4) Ut intelligi licet ex epistola, quam Berengarius in carcere ad eum scripsit. (Sudendorf pg. 208.)

5) Cfr. Lessing pg. 115—118.

6) „Dissuaserant secundum ecclesiastica iura, secundum quae nullus extra provinciam ad iudicium ire cogendus est, personae ecclesiasticae, dissuaserant amici.“ De sacr. coen. ed. Vischer pg. 41.

7) „Ob reverentiam pontificatus Romani.“ Ibid 42.

Ut veniam acciperet ad hanc longam profectionem, ad Henricum I. Franco-Gallorum regem se contulit, qui abbas fuit monasterii St. Martini sive „Marmontier", in quo Berengarius erat clericus. Quo in itinere (ad regem) Berengarius multum circumivit, ut Ansfriedum Praviensem viseret, sperans fore ut excellentem illum clericum rursus in suam de sacra coena traheret sententiam.[8])

Ansfriedus satis benigne eum excepit et in cellam suam duxit, ubi convivae tentavit orthodoxiam, et multis in rebus eum infidelem invenit erga ecclesiae doctrinam. Berengarii responsiones impietatem vocavit sacrilegumque latratum.[9]) Si Berengarius contendit: rem manifestam esse unicuique, qui apertos habeat oculos[10]), abbas nec aliter quam olim Carnoti ad evangelia apostolorumque scripta provocavit eique suasit, ut melius studeret illorum sententiis. Berengarius obstupefactus, qua fuit modestia, non ausus est magnam et sufficientem scientiam doctrinae evangelicae et apostolicae de sacra coena sibi vindicare. Magna veneratio, quam habuit in Ansfriedum eum retinuit; — tacuit Berengarius.

Ansfriedo relicto Berengarius porro profectus est per Carnotum, cuius urbis satis cognovit clericos, quum inter hos vixisset, — nec vero quemquam eorum dignum habuit, ut cum eo de doctrina dubitata disputaret; et ne cum digno quidem in hoc itinere res conversatione subtiliter exquiri vel exhauriri potuit. Quare Berengarius nullo modo cum clericis

---

[8]) „Nihil enim habetur, quicquid afferimus nos, quibus auctoritas non est vel ex dignitate, vel ex vitae meritis, etiam magnificum et divinum, si destituatur quacunque auctoritate, qui videmini residere in sublimi.". Ber. ep. ad abbat. Ansfriedum. Sudendorf pg. 210.

[9]) Durandi opus, P. IX. in appendice operum Lanfranci, apud Acherium l. c. pg. 106.

[10]) „Res enim eminet et est in evidenti omnino, si quis oculos habeat, oculos non pecudis, sed hominis, oculos patientes lucis, non assuetos tenebris, nec caligantes, ut ait beatus Augustinus fumo inanae (is) victoriae. Ber. ep. ad Ansfr. — Sudend. 209.

Carnotensibus de sacramento altaris disserere constituit. Sed consilio adversariorum, quod sibi proposuerat, irritum reddebatur. A nonnullis episcopis Berengario infestissimis turba clericorum fanaticorum excitata erat, cui homo quidam praefectus fuit,[11]) quem Berengarius „infamem vocat personam, vilissimum scurram, hominem flagitiosissimum, nullius auctoritatis, quem secularia etiam iudicia non admitterent. . . . caecum illum, ducem caecorum.“[12]) Quae „turba ineruditorum et caecorum duce caeco, turba gladiis quasi et fustibus armata“[13]) in Berengarium per Carnotum proficiscentem irrupit, et ut rationem ederet postulavit.[14]) Guilelmus cathedralis Carnotensis clericus, quem alias Berengarius virum significat optimum, simul cum illis venerat et Berengario fecit opprobrium, quod confirmasset: Verbis, quibus sacra coena a Domino esset instituta, demonstrari, substantiam, materiam panis in Eucharistiae sacramento manere. Praeterea Guilelmus posuit: unumquemque festo paschali sacrae coenae participem esse debere. Ascelinus, Carnotensis clericus cathedralis, postulavit, ut Berengarius locum quendam in libro Ioannis Scoti condemnaret, quo dicitur: „Quae ponuntur in altari, revera non esse corpus et sanguinem Christi.“ Inter haec Arnulphus cantor cathedralis Carnotensis exclamavit: Ne fidem demat sibi ipsis Berengarius,[15]) — neque pauca laudis edidit verba in Ansfriedum abbatem propter Carnoti publice institutam quaestionem de sacra coena. Sic offensus Berengarius tacere quidem non putabat se debere, sed quantum in eo fuit, cavit ne e caussis iam supra commemoratis sanctum canibus proiiceret.[16])

---

[11]) Sudendorfius censet: Arnulphus, cantor cathedralis Carnotensis.

[12]) Epist. Ber. ad abb. Ansfr. (Sudend. 209.)

[13]) Ibidem.

[14]) „Ubi decus ecclesiae, ubi sol ille iustitiae!“ exclamat Berengarius, hoc describens.

[15]) Cfr. Ep. Ber. ad Ascelinum et Ascelini ad Bereng.

[16]) „Et necesse habui non silere ad illos usque quaque; supersedi autem propter supradictas caussas, quantum potui, sanctum

Quod crimen Guilelmus adversus eum protulit, haud negavit Berengarius, quod in eo doctrina sua edicta erat; et quamquam Guilelmi opinionem: unumquemque festo paschali sacrae coenae participem esse debere, refutandam atque abiiciendam esse censuit, tamen illi non respondit. Ascelino postulanti, ut locum quendam in Ioannis Scoti libro (supra edictum) damnaret, Berengarius respondit, se nondum omnia Scoti scripta legisse. Confirmavit vero, omnia, quae ab hoc viro perspexisset, cum illis consentire patribus, quos in epistola sua ad Lanfrancum citasset, itaque nihil haeretici continere; tamen paratum se dixit, si quid falsi in Joannis Scoti libro reperiret, libenter repudiare. Berengarius igitur adversariis nihil paene opposuit, sed etiam nihil iis concessit, quamquam crediderunt, concessiones sibi esse factas. Id tantum iis promisit fore ut tempore suo rationem iis daret.

Tum Berengarius Parisios se contulit ad Henricum I. regem, abbatem suum, ut hic Vercellos proficisci petenti id concederet. Rex vero Berengarium uni de satellitibus tradidit, ut eum daret in custodiam eique quae haberet omnia demeret. Non caussis religiosis, ut Berengarius dicit, rex ad hoc facinus commovebatur, sed id spectabat, ut tantum pecuniae e captivo exprimeret,[17]) quantum Berengarius nunquam possederat.[18])

Clerici ecclesiae St. Martini Turonensis quum audissent Berengarium esse captum, ex communi decreto legatum

---

duce canibus (Matth. VII. 6) — neque quidquid illis concessi.“ (Sudend. p. 209.)

[17]) „Cum me rex ille Franciae, totius regiae dignitatis oblitus, carcerandum dedisset cuidam adolescentulo, qua ex caussa, etsi turpius est dicere, turpe tamen erat scribere, ad exigendam a me, quantam ego nunquam pecuniam noveram . . . .“ De sacr. coen. 47.

[18]) Quod Gfroerer dicit, regem voluisse seiunctionem ab ecclesia Romana efficere, Gallicamque ecclesiam cum papa proprio instituere, Berengario porro mandasse, ut dogma faceret Franco-Gallicum-Catholicum; denique eum postquam pars prima susceptionis theologicae esset finita, reliquam pecuniae partem a Berengario repostulasse — a Sudendorfio satis refutatum est.

miserunt ad papam Vercellos, ut hunc ad misericordiam moveret atque incitaret, ut pro captivo, qui quantum in eo fuit omnia fecisset, ut veniret Vercellos, christiana asperitate contra regem uteretur. Legatus ad papam missus iuvenis fuit egregia eruditione magnaque probitate,[19]) qui prius discipulus fuerat Gazonis Leodiensis episcopi. Sed frustra. Nec religio neque auctoritas apostolica nec captivi fatum papam commovere potuerunt ad paternam miserationem humanamque misericordiam.[20])

Concilium Vercellense incepit die 1. mens. Septbr. anni 1050. Gallicani imprimis aderant clerici, id quod Berengario eo difficilius fuit, cum illi odio caecaque ira in eum incensi convenerant, non ut defensionem Berengarii audirent et ponderarent, sed ut statim eum damnarent. Primum in hoc concilio de Joanne Scoto iudicatum est, qua in re iam aperte videbatur iniustitia clericorum praesentium. Non totus Scoti de sacra coena liber praelegebatur, sed ille tantum locus iam supra dictus (Cap. I. not. d) efferebatur: „panem et vinum in sacra coena symbolum tantum, signum, pignus corporis et sanguinis Christi esse.“ Quae verba vix audita erant, quum Petrus Damiani zelotes fanaticus in haec verba erupit: „Si adhuc in figura sumus, quando rem tenebimus“.[21]) Hac re acceleratum est concionis decretum. Nullae amplius quaestiones de illo libro; statim condemnatus et Lanfranco nuente dispersus est. Stephanus Lombardus ubi hoc vidit, exclamavit: „Eodem modo sancti Augustini librum dirumpere

---

[19]) „Alter canonicus mihi erat in ecclesia beati Martini, convictor et discipulus gloriosae memoriae Gazonis Leodiensis episcopi, iuvenis non parvae eruditionis, plurimae probitatis atque honestatis; hunc clerus . . . . consilio communi ad Leonem illum misit Vercellis, si forte infortunio meo compatiens christiano rigore aliquid pro me adoriretur.“ De sacr. coen. p. 46. 47.

[20]) „Hoc Leo Vercellis audivit, non apostolica dignitate, non paterna miseratione, non humana motus est compassione, qui si non mihi, apostolicae saltim sedi, ad quam iussus contenderam, dare debuit gloriam . . . .“ Ibid. 42.

[21]) De sacra coena, pag. 43.

potestis nulla habita ratione „non adhibita mora et lima“,[22]) neque operam habebitis quaerendi, num id recte fiat.“

Berengarii de sacra coena doctrinam illo tempore nondum quisquam potuit subtiliter explicare; nam ipse Berengarius nondum illam plane exposuerat, quia (ut ipse dicit) tum nondum satis perpessus pro veritate, eamque studio sacrae scripturae patrumque nondum satis perscrutatus esset. Quamquam igitur in concilio Vercellensi nemo fuit, qui Berengarii sententias de sacra coena novit, tamen clericus quidam in concione suscepit, Berengarii doctrinam exponere.[23]) Inter haec papa alloquitur quendam ex concione aliquid quaerens. Legatus ecclesiae Turonensis (supra commemoratus) audire putabat in responso verba: „Berengarium haereticum.“ Iratus alta voce exclamavit: „Per Deum omnipotentem, mentiris!“[24]) Sed una cum Stephano imperante papa datus est in custodiam, ne populus eos adoriretur[25]). Berengarius autem iterum non auditus condemnatus est. Nemo eum defendit. „Voce sacrilega papa eum haereticum in conventu illo Vercellensi pronuntiavit.“

---

[22]) De sacra coena, pag. 47.
[23]) Ibid. pag. 44.
[24]) Ibid. pag. 47.
[25]) „Ita factum est, ut iuberet Leo ille utrumque teneri, non tamen, ut ipse postea exponebat, ut iis aliquid iniuriae fieret aut molestiae, sed ne turba forte in illos illicitum adoriretur aliquid.“ Ibid. pag. 47.
[26]) Ibid. pag. 42.

Caput tertium.

Berengarius in custodia. — Berengarii epistolae ad Ansfriedum, Josfredum Comitem Andegavensem et ad Ascelinum. — Berengarius ex carcere dimissus. — Disputatio Brionensis.

Dum ea geruntur, Berengarius fuit in custodia. Hic quae omnia ei occurrerant, memoria repetivit. Imprimis eum dolore affecerant, quae ab Ansfriedo abbate ipso atque de illo audierat. Haud immemor consilii, quod acceperat ab Ansfriedo, ut evangeliis apostolorumque melius studeret edictis, evangelium St. Joannis petiit [1]) omnesque locos, qui agunt de sacra coena, rursus et iterum legit magna cum consideratione. In quibus tamen nihil nisi confirmationem invenire putavit sententiae suae et tota res tam ei videbatur manifesta et aperta, ut rationis oculi nec videre nec intelligere non possent. Timebat pro salute Ansfriedi amici et rursus conatus est illum trahere ad veritatem perspectam. Literas scripsit illi, in quibus et strenue et suaviter amicum monet, ne „ponat offendiculum coram caecis", sed confiteatur veritatem.[2])

---

[1]) „Petivi mihi evangelium St. Joannis, in quo revolvens, quae ad sententiam pertinebant, numero saepissime et quanto poteram pondere et consideratione, ita rem apparere pervidi, ut putarem, omnem stuporem transcendere, quod potuerint, a luce tanta dissimulare vel in luce tanta caligare qualescunque oculi rationis." Ep. Ber. ad Ansfriedum.

[2]) „Unde non potui tanta dissimulare, nimium autem non debui, quin timerem paternitati tuae evangelium illud: Ve, ve, qui tulistis clavem scientiae et ipsi non introistis . . in . . non s . . . Et revera ubi illa comminatio dominica: qui me erubuerit et m. s. e. et e. eum? Haec ego ne in contumeliam tuam dixerim, obsecro per mansuetudinem Domini Jhesu. Si enim nihil aliud ex evangelicis dictis, nihil aliud ex apostolicis firmari potest, quod quidem invictissimum constat, si hoc sentiunt, universo procul ambiguo, quorum auctoritate universa invaluit et prevaluit ecclesia, summi

Sed omnia verba erant vana Berengarii, cui et fuit et mansit Ansfriedus adversarius, qui mox postea coram Durando (postea abbate Troarnensi) questus est de Berengarii sacrilegio et impietate.[3]) Quantopere custodia depressus, tamen quaesivit Berengarius et invenit consolationem optimam in studio scripturae sacrae. Confidit Deo omnipotenti, cuius iam saepe expertus erat gratiam. Qua de gratia dei in Christo, et peccatores pessimos iustificante, sententias suas scripsit iam captivus in epistola quadam ad Comitem Josfredum Andegavensem, fortissimum tutorem suum,[4]) qua in epistola magnum sequitur Augustinum.[a])

Magis quam captivitatem aegre ferebat Berengarius nuntium: Guilelmum Carnotensem gloriatum esse, quod Berengarius in Carnotensi contraversione negare non potuerit haereticum esse Joannem Scotum. Quod contra mendacium Berengarius tum quaesivit testimonium et provocare testem constituit Ascelinum, qui Carnotensi illi contraversioni adfuerat, qua de caussa ex custodia[5]) epistolam ad Ascelinum scripsit,[b]) quem conjuravit, ut veritatem libenter confiteretur.

---

et probatissimi canonicarum scripturarum intellectores atque retractatores, qui hoc non ambigue dictum luce clarius expositum et multa persequutione tractatum, nec hoc raris in locis, sed quasi passim multo pluribus reliquerunt: quorsum christianitati tuae dissimulare a sententia et ponere offendiculum coram caecis, quorsum erubescere non dico ad evangelica vel apostolica, sed etiam ad autentica dicta probatissimorum in scripturis auctorum, Ambros. Aug. Jer? en!“

[3]) Durandi abbatis Troarnensis liber de corpore et sanguine etc. P. IX.

[4]) Josfredi Andegavensis vitam vide Sudendorf, pg. 69—87. — Ex quo tempore Josfredus tueretur Berengarium, haud cognitum. Epistola Ber. ad Josfr. primum signum eorum amicitiae est.

[a]) Quae Sudendorf dicit: durch sein Schweigen verwirft er die Absolution, das Amt der Schlüssel und das opus operatum etc. — non recte dicta videntur, quum hae res illo tempore omnino agnotae huc referre non deberentur.

[5]) Ep. Ber. ad Ascel. (apud Acherium, not. in vit. Lanfr. fol. 19. Ed. Venet.)

[b]) Hac in epistola scripsit: „Per vos igitur transiens (i. e. per

Haud diu exspectare responsum Berengarius coactus est. Ascelinus, qui speraverat, fore ut in epistola Berengarii inveniret revocationem erroris, tum se deceptum vidit atque tristis mox responsum scripsit; in quo suam exponit sen-

---

Carnotum) disposueram omnino nihil agere cum quibuscunque de Eucharistia, priusquam satisfacerem in eo episcopis, ad quos contendebam secundum evangelicam atque apostolicam scripturam: unde factum est, ut nihil pene vobis opposuerim nihilque consenserim in colloquio illo. Et nunc quod apud episcopos agere susceperam, vellem si mihi tantum fieret, saltem apud vos agere in audientia quorumcumque." — Quaerendum nobis est, de qua synodo Berengarius hic loquitur. Haud dubie duo conventus varii significantur. Alter conventus („priusquam satisfacerem in eo episcopis, ad quos contendebam") est neque (ut censet Cossartius) disputatio Brionensis (quae erat anno 1051), neque (quod dicit Neander) concilium Parisiense, sed concilium Vercellense. Dr. Neander, ut sententiae suae dicat argumentum, ad Berengarii verba: „Et nunc, quod apud episcopos agere susceperam" supplet verba: „quod tamen perficere non poteram, quia non tutum erat", qua de caussa Berengarium loqui dicit de Concilio Parisiensi. Quod tamen non rectum videtur. Nam Berengarius hanc epistolam ad Ascelinum in carcere scripsit, id est: aut dum habebatur concilium Vercellense, aut extemplo post concilium Vercellense habitum, cuius decreta nondum cognovit, sed demum responso Ascelini comperit. Parisiensis ergo concilii dies tum minime jam dictus erat. Itaque ad illa Berengarii verba non supplendum est; „quia non tutum erat", sed: „quia clausus eram".

Altero vero conventu, quem eundem Parisiensem esse dicit Dr. Neander, nihil aliud significat Berengarius, quam colloquium quoddam privatum, cum episcopis habendum, quod colloquium olim Carnotensibus clericis promiserat. Id vero certum est, hoc altero conventu significari nec concilium Parisiense, nec disputationem Brionensem; — nec concilium Parisiense ex argumentis commemoratis, — nec disputationem Brionensem, quia, ut narrat Durandus abbas Troarnensis, disputatio Brionensis habita est nec postulata, nec optata, nec praescita a Berengario. Quod Berengarius dicit: „si mihi tutum fieret" non mirandum, si recordamur, quam vehementer exacerbati fuerint adversarii in Berengarium, qui concilio Romano (anno 1050) habito revera non iam tutus erat. Quod nostram sententiam iuvat, id est, quod Berengarius epistolam ad Richardum, — in quo se paratum dicit coram rege (Parisiis) doctrinam suam defendere — anno demum 1051 scripsit, carcere iam relicto et concilii Vercellensis decretis iam diu cognitis. —

tentiam de sacramento altaris; quae tamen sententia, quam consentire censet cum ecclesiae doctrina, valde ab ea dissentit. Libenter dat testimonium, Berengarium non damnasse Joannem Scotum. Tum rogat eum, ut recedat ab errore redeatque ad catholicam et evangelicam traditionem. In epistolae fine narrat, in concilio Vercellensi Joannis Scoti librum damnatum et Berengarium haereticum esse declaratum. Hic primus est nuntius, quem Berengarius de concilii Vercellensis decretis accepit.[c]

Compluribus post mensibus Berengarii amicis (Josfredo Com. Andegav., Eusebio Brunoni Andegav. aliisque viris gravissimis) intercessione evenit, ut Berengarius liberaretur ex custodia. Parisiis relictis Berengarius Guilelmum Normandiae ducem visitavit et particeps erat colloquii Brioni habiti[d]) initio anni 1051, qua re fecit, quod promiserat:

---

c) Mox postea videtur scripsisse epistolam ad clericos Carnotenses, quam se legisse dicit Durandus abb. Troarn. Berengario infestissimus. Durandus (in libro de corp. et sang. P. IX.) narrat Berengarium hac in epistola cum furiosis exclamationibus summaque magniloquentia absurdas atque haereticas sententias dixisse, ecclesiam catholicam haereticam vocasse, Leonem IX. papam sapientissimum et excellentem affecisse ignominia etc. Dolendum est, quod haec Berengarii epistôla, si omnino est scripta, perdita est; optime testaretur, quam ardenter et malitiose adversarii contra Berengarium se gererent.

d) De hac disputatione Brionensi Durandus abbas Troarnensis narrat: Berengarium anno 1053 — (dicit etiam: eodem anno, quo concilium Vercellense habebatur; constat autem, hoc habitum esse anno 1050; putandum est, Durandum hac in re errasse et tenendus est paullisper annus 1050) — ad Guilelmum Normandiae ducem se contulisse, ut eum sibi suaeque doctrinae conciliaret. Sperasse Berengarium fore ut Odone episcopo Baiocensi ducis fratre uteretur defensore doctrinae suae (cfr. Epist. Ber. ad Odonem Baiocensem, apud Sudendorf, pg. 231 Nro. XXI.); qua spe commotum profectum esse Berengarium in Normandiam. Guilelmum ducem vero, catholicae deditum fidei, Berengarium haud scientem callide secum duxisse Brionum, quo undique certi ac comprobati clerici convenissent, ut ageretur de Berengarii doctrina. Clarissimos Normandiae sapientes adfuisse. Berengarium coram illis exstitisse, et cum eo alium clericum, quem Berengarius secum duxisset et cuius elo-

tempore suo adversariis rationem se daturum, quamvis illa disputatio non fuerit voluntaria. Quam turbulentus fuisset

---

quentia nisus esset. Sed Berengarium esse convictum. — Dicit Durandus: „Ita coram omnibus confutaverunt atque evidenti ratione, quatenus eis (Berengario eiusque socio) silentium imponerent, verborumque, quibus fidem catholicam tuebantur assensum ab iis extorquerent.“ — Hactenus Durandus abbas. Quanta vero sit fide dignus nunc quaerendum. Id constat: Brioni habitam esse disputationem inter Berengarium nonnullosque clericos, nam Berengarius ipse huius disputationis mentionem facit (de sacr. coen. pg. 38). Si tempus spectamus, quo illa erat disputatio, hoc dicendum est. Berengarius illi colloquio Lanfrancum adfuisse dicit. Hic vero narrat (de Euchar. sacr. C. IV.) se ab concilio Romano (quod incepit die 15. mens. April. anni 1050) usque ad concilium Vercellense (die 1. Septbr. 1050) moratum esse Romae apud Leonem IX. papam. Quibus rebus sequitur id quod et Sudendorfius censet, disputationem Brionensem habitam esse aut ante diem 15. April. 1050 aut post diem 1. Septbr. 1050. Qua tamen in re haec non sunt negligenda:

1. Primum: Berengarius in epistolis, quas scripsit in carcere (i. e. dum habebatur concilium Vercellense) ad Ansfriedum Praviensem, ad Josfredum comitem Andegavensem, et ad Ascelinum Carnotensem, non mentionem facit Brionensis disputationis.

2. Tum: Berengarius si profectus ad Henricum I. regem — Ansfriedum Praviensem visitavit et per Carnotum migravit etiam Brionum tangere debebat. Sed magnum est discrimen inter urbis solam permigrationem et disputationem. Huc accedit, quod confirmat Durandus, Berengarium non voluntarium venisse Brionum, sed callide ductum a Guilelmo Normandiae duce.

3. Deinde: Lanfrancus in disputatione Brionensi iam dicit, qua de caussa in concilio Vercellensi Scoti liber damnatus esset (de sacra coen. pg. 38 et 43).

4. Denique: Berengarius constituerat, non prius disputationes agere privatas, quam in concilio publico (Vercellensi) doctrinam suam defendisset.

Quibus argumentis sequitur, illum conventum Brionensem minime ante diem 15. April. anni 1050 fuisse, sed demum post diem 1. Septbr. 1050. Durandus, ut supra commemoravimus, dicit: disputationem Brionensem eodem anno habitam esse, quo concilium Vercellense. Quodam sensu hoc rectum est; nam si, id quod non alienum videtur, dicimus nonnullos per menses captum fuisse Berengarium, et si recordamur, secundum chronologiam illis temporibus in Gallia usitatam annum 1050 durasse usque ad ver anni

hic Brionensis conventus, intelligi licet si recordamur, quae Drago dicit de adversariorum rabie fanatica.[6])

Ex Normandia Berengarius Turonum rediit.

1051: iter Berengarii, ad Guilelmum Normandiae ducem et Brionensis disputatio ponendae sunt in initio anni 1051. — Sin vero spectamus, quem habuerit Brionensis disputatio eventum, non mirari debemus Durandi nuntium. Qua enim uterentur adversarii ratione disputandi ac disserendi; intelligi licuit iam ex colloquio illo Carnotensi, et scimus, quanti momenti Durandi verba sint: „Eis silentium imponerent.“ Quod tamen attinet ad hunc socium sive amicum, qui eloquentia iuvare deberet rem Berengarii — hac re modum excessisse videtur Durandi narratio. Iam prius Dragonem Parisiensem vidimus admirantem optimam, suavissimam ac disertissimam Berengarii eloquentiam; neque putare debemus, Berengarium, qui ceterum, ut supra intelleximus, doctrinam suam nondum plane exposuisset neque igitur scripsissit, egenum fuisse adiutoris, ut defenderetur. Praeterea mi Domine abba! unde quaesivit Berengarius tam celeriter hunc adiutorem? ipse venit, ut vos narrastis, repente Brionum, haud rebus cognitis, quae ei imminebant. —

[6]) Cfr. Epist. Dragonis ad Berengarium. (Sudend. pag. 211.)